DE TUBERCULOSIS RATIONE AETIOLOGICA;

INSERTAE SUNT

TABULAE, QUIBUS, QUALIS NATURA MORBI NOVISSIMIS TEMPORIBUS VRATISLAVIAE FUERIT, ACCURATIUS EXPONITUR.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE VIADRINA

AD SUMMOS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE VII. M. NOVEMBRIS A. MDCCCLXIII

H. L. Q. C.

PALAM DEFENDET

AUCTOR

MAURITIUS SORAUER,

SILESIUS.

PARTES ADVERSARIORUM AGENT:

G. REICHEL, MED. ET CHIR. DD.

G. BOEER, MED. ET CHIR. DR.

VRATISLAVIAE.

TYPIS GRASSII, BARTHII ET SOC. (W. FRIEDRICH).

VIRO

ILLUSTRISSIMO, AMPLISSIMO, CELEBERRIMO

H. LEBERT,

Med. et chir. Dr., univers. Viadr. Vratisl. Prof. P. O. et clin. med. Moderat., Prof. honor. acad. Lausann., Equit. honor. legion. et ordin. Was., et aquil. rubr. et St. Maurit. et Lazar., Laureat. acad. litter. et medic. Paris, honor. c. recrpt. in societ. academ. Bruxell., it. in societ. med. chir. Pag. Tiguri., it. in societ. med. angl. Paris., Coc. hon. societ. chir. Paris., t. soc. med. Genev., Sod. acad. Holmiens. et Ferrar., soc. soc. medic. Herbipol., Lipsiens., Dresden., Dublin., Hafniens., Lausannens., Neocom., Turicens., S. German. soc. med. physic. Paris., s. societ. Paris., anatom., biologic., chirurg., med. suptil. observat., s. phys. soc. Helvet., Neocomens., Lausannens., Turicens., Bernens., s. societ. med. aemulat. Paris. et Lyonnens., et soc. Siles. Pr. cult. patr., s. German. med. soc. Litter. vir. nuit. tractand. c.

PRAECEPTORI
BENEVOLENTISSIMO DILECTISSIMO

EGREGIE DE SE MERITO
SUMMEQUE SEMPER VENERANDO

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

SACRAS ESSE

VOLUIT

AUCTOR.

PROOEMIUM.

Quum jam in eo essem, ut more tradito litterarum rimitias publici juris facerem, ut scilicet disserta-onem conscriberem, de tuberculosis pulmonum mo-ıentis aetiologicis aliquid disserere statui. Non nim abs re esse videbatur, quam varia vis et ratio ıberculosis et in universum et inprimis nuper Vra-slaviae esset, accuratius observare adjectisque ta-ellis magis etiam illustrare. Cujus rei diligenter xaminandae optima mihi in clinico medico Vratis-ıviensi occasio oblata est, quippe quod ingens egrotorum illo morbo correptorum numerus fre-uentet. Nixus ergo potissimum in opusculo meo laborando diurnis instituti medici policlinici sum, uae Lebertus vir Ill. et Cel. benignissime mecum ommunicavit. Idem liberalissimus vir lepidissime oncessit, ut praeclarissimo ipsius de scrophulosis

et tuberculosis opere uterer. Gratias igitur tibi ago semperque habebo quam maximas, dilectissime praeceptor, propter summam erga me monstratam benevolentiam, quam mihi ut et in futurum serves, enixe precor. Accipias benevolo et miti judicio huncce libellum ut signum pietatis.

Restat, ut ex te quaeram, lector benevole, ne nimis graviter et severe de primitiis judices, quae sunt tironis.

Historia tuberculosis.

Priusquam tuberculosin, qualis Vratislaviae apparuerit, accuratius sub examen vocem, breviter illa opera perlustrare placet, quae ad naturam morbi melius pernoscendam alicujus momenti fuerunt.

Pulmonum tuberculosin phthisin pulmonum esse priscis jam temporibus cognitum est. Attamen, quamvis jam tum tuberculos secerni perspiceretur, hos nequaquam morbum efficere existimarunt, sed in tussi potius cum marasmo consociatam morbum collocatum esse sibi persuaserunt. Nihilominus tamen jam verissime morbus in libris Morton, van Swieten, Portal, Bayle, Beaumès, A. G. Richter describitur. Inprimis vero Laennec, Andral ac praecipue Louis internum nexum inter tuberculosin et phthisin pulmonum intercedere optime senserunt. Tam egregie de morbi forma chronica Laennec disputavit, ut eum omnes, qui novas de malo protulerint sententias secuti esse existimandi sint. Naturam processus tuberculosi propriam, qualis in pulmonibus cernatur et qua ratione ab quibus-

libet inflammationibus discrepet, Lebertus Vir Ill. in opere anno 1844 composito sagacissime enucleavit. Recentissimis quidem temporibus silva fere librorum hac de re, de qua nos quoque acturi sumus, emissa est, sed haud multum allatum est ad malum aptius perspiciendum. In optimorum operum numero habenda sunt primum id, quod Louis vulgavit et copiosissimum et sagacissimum, deinde quod Scoda composuit: ambo morbi diagnosin pulcherrime illustrant. De tuberculosis ratione, qualis in infantibus deprehenditur, melius explananda Papavoine, Lombard et Rufz meriti sunt; sed Rilliet demum et Barthez, qui infantium naturam optime perspectam habebant, omnia, quae ad infantium tuberculosin pertinent, tam egregie copioseque exposuerunt, ut horum libelli illi Louisii non multum auctoritate cedant.

Nonnulla in universum de aetiologia disputantur.

Qamquam multum saepeque haec res examinata et explorata est, natura tamen tuberculosis admodum tenebris tegitur. Licet enim anatomicam et microscopicam ejus naturam noverimus, nihil tamen ex his colligere licet, quo tuberculosis natura magis explanetur. Chemicam rationem prorsus ignoramus. Quàmquam sanguinem in morbo paullatim cellulas suas amittere observavimus, nihil tamen inde consequitur. Neque magis materiae mutationem, corporum albuminoideorum fissura parta perspecta habemus; ut uno verbo dicam, de rebus gravissimis nihil scimus, pestis morborum naturam perspicere nequaquam nobis contigit. Saepe aetiologiam obiter tantum ac parum diligenter tractarunt, ut in gravissimos et pathologiae et therapiae errores se inclusi passi sint. Si enim nonnullas manifestas morbi causas, veluti syphilidem, scabiem vel tineam favosam praetermittimus, omnia aetiologiae fundamenta nequaquam firmissima sunt.

Quare nostri muneris non esse potest, multum copioseque de causis disputare easque refutare, ex quibus tuberculosin effici sibi persuaserunt.

Eorum sententias, qui tuberculosin semper esse hereditariam censent, ut, si in agnatis nullum ejus vestigium deprehendatur, adulterio parta sit, vel illum turpem errorem, tuberculosin ex graviditate in menstruatione nasci,

silentio praetermittimus. Quare nostras sententias, quas de ratione, qua tuberculosis evagetur, firmis argumentis stabilire studebimus observationibus nisi, quas aut ipsi aut veritatis amantes gravesque viri instituerunt. Idcirco noli cogitare nos ludibrii tantum causa de rebus, quae haud parvi sunt, esse acturos.

De frequentia quum pulmonum morborum, tum tuberculosis, et quae ratio iis cum reliquis morbis intercedat.

Qua in re aestimanda iis utimur, quae de 2262 aegrotis notata sunt, quorum 682 pulmonum morbis non excepta phthisi laborabant. Omnino ergo aegrotorum fere pars 25 pulmonum morbo vexabatur. Feminae $13^1/_3$ %, mares $11^2/_3$ %. Qui morbi partim acuti, partim chronici erant. Ad hoc genus pertinent inprimis tuberculosis, bronchocatarrhus, emphysema pulmonum, nonnulla bronchiektasis, pneumoniae chronicae et pleuritidis exempla, bronchitis chronica. Priores morbi omnes fere ex pneumonia, pleuritide et bronchitide capillari constant. Ex tabellis nostris studiose et diligenter compositis 682 aegrotorum 603 chronicis affectionibus vexabantur. Quo in numero etiam tuberculosi laborantes habentur: acuta 80 exempla erant. Omnino haec ratio inter chronicos et acutos morbos intercessit $88^1/_2 : 11^1/_2$, ut ergo chronicorum

numerus illum acutorum octies superaret. Chronicorum autem aegrotorum 282 tuberculosi affecti erant, ut ergo haec ratio inter phthisi laborantes et reliquos aegrotos intercederet 1 : 9. Inter phthisin et pulmonum morbos haec erat ratio 1 : $^{10}/_{7}$, inter phthisin et chronicos morbos 7 : 8, inter phthisin et acutos 7 : 2. Vix ergo dimidio plures generalibus pulmonum morbis quam phthisi laborantes habuimus. Paullo superabat chronicorum copia et $3^{1}/_{2}$ plures phthisi quam acutis morbis affecti erant. Nunc sub examen vocemus, qualis regularis tuberculosis spectetur, deinde in irregularem inquiremus.

Quam vim aetas hominum in tuberculosin exerceat.

Admodum doleo, quod opus meum, quod ad tabulas attinet, non omni ex parte perfectum est, quum infantes tuberculosi, qui nondum primum aetatis annum superarunt, in policlinicum non recipiantur, sed iis nosocomiis mandentur, in quibus infantibus potissimum curandis operam dant. Verum tamen in illis nosocomeis tuberculosis exempla tam scrupulose colliguntur, ut libellus meus, qui hac ex parte mancus sit, non nimis pretio postponendus sit. — Priusquam vero de aetate tuberculosi Vratislaviae correptorum disseram, facere non possum, quin conspe-

ctum morborum, quem Marc d'Espine in opere suo adhibuit, commemorem. Cujus libri ratione habita exempla morbi Vratislaviae deprehensa postea enarrabimus. Ille enim vir doctissimus haec invenit 375 aegrotis observatis: qui nondum ad quintum aetatis annum pervenerant, 40 aegrotos observavit, $^1/_9$, inter 5—10 annum 21 morbo affecti sunt, $^1/_{16}$, inter 10—15 annum 23, $^1/_{16}$, inter 15—20 annum 33, inter 20—25 annum 58, $^2/_{13}$, inter 25—30 annum 46, inter 30—45 annum 106, $^2/_7$. Quo propius vero homines ad senectutem accedunt, eo magis numerus tuberculosorum minuitur, quamquam morbus usque ad terminum vitae humanae destinatum in homines grassatur; 48 enim aegrotos, $^1/_8$, enumerat Espine, qui plus quadraginta quinque annos habebant.

Jam nunc videamus, utrum nostrae observationes cum his congruant.

Omnino 282 aegroti clinicum frequentarunt. Quorum 19 non majores erant 1—5 annis ($^1/_{15}$ — Espine paene $^1/_9$). Quod illius numerus multo major est, inde intelligitur, quod etiam infantes tuberculosos, qui nondum primum aetatis annum expleverant, enumeravit. Hujuscemodi parvuli in nostrum clinicum non recipiuntur. Intra 5—10 annum 12 aegroti erant ($^1/_{23}$, Espine $^1/_{16}$). Major ergo Espinii numerus. Inter 10—15 annum 15 aegroti ($^1/_{17}$, Espine $^1/_{15}$). Hic ergo numeri paene conveniunt. Inter 15—20 annum 24 aegroti ($^1/_{12}$), inter 20—25 annum 30 ($^1/_9$, Espine $^2/_{13}$), inter 25—30 annum 53 ($^1/_5$). Hic numerus maximus est, ut eum is Espinii non aequet. Neque eorum numerus modicus est, qui inter 35—40 annum erant, 26, $^1/_{11}$. Inter 40—45 annum 22 aegroti erant,

$^1/_{13}$, inter 45–50 annum 14, $^1/_{20}$, inter 50—55 annum 6, $^1/_{47}$, inter 55—60 annum 11, $^1/_{25}$, inter 60—65 annum 3, $^1/_{74}$, inter 65—70 annum 5, $^1/_{56}$. Nullus aegrotus inventus est, qui jam 70 aetatis annum excesserat. Denique ut finem faciamus Espinii numeros cum nostris comparandi, ille 48 aegrotantes affert, qui 45 annos excesserant, $^1/_8$, nos 39 aegrotos, $^1/_7$, observavimus, qui 45 jam annos compleverant. Hic ergo haud magnum discrimen inter numeros intercedit. Restat, ut numeros ita ponam, ut uno in conspectu videri possint:

anni	morbi exempla
1— 5	19
5—10	12
10—15	15
15—20	24
20—25	30
25—30	53
30—35	42
35—40	26
40—45	22
45—50	14
50—55	6
55—60	11
60—65	3
65—70	5.

Intelligis ex hac tabella tuberculosin pulmonum in omnes aetates invadere. Quum enim primo et altero aetatis anno rara sit, proximis annis crebrior apparet et frequentissime homines abripit, quum in flore atque ro-

bore aetatis sunt, ut plurimi inter 20 et 35 annum phthisi pulmonum pereant. Inde ab hoc anno usque ad 50 morbus minorem hominum numerum aggreditur et quo magis homines ad senectutem properant, eo minor est praeda hostis, senectuti vero plane parcit, quae aliis pulmonum morbis, veluti emphysemate et bronchitide infestatur. — Neque rem satis memorabilem et accurata perscrutatione dignam derelinquere possumus, nisi additis nonnullis, quae ad frequentiam tuberculosis in infantibus deprensam accuratius perspiciendam pertineant. Qui maxima cum diligentia in hanc rem inquisiverunt Lombard, Papavoine, Rilliet et Barthez et Barrier in eo consentiunt, maximam infantium multitudinem intra 6 et 11 annum abripi. Exigua pars inter 11—15 annum morbo vexatur, minor inter 3—5 annum, minima inter 1—$2^1/_2$ annum. Billiard et Valleix[1]) testibus recenter nati prorsus tuberculosi vacant, Lebertus Vir Ill. in duobus tantum infantibus, qui nondum dimidium anni expleverant, tuberculosin minus auctam observavit[2]).

[1]) Clinique des maladies des nouveaux nés. Paris 1838, pag. 69.

[2]) Eine Statistik über die vergleichsweise Häufigkeit der einzelnen Erkrankungen der Säuglinge und die Seltenheit der Tuberculose siehe im Bericht Haller's über das Wiener allgemeine Krankenhaus im Jahre 1848. Zeitschrift der Wiener Aerzte, Jahrgang 1848, November und December.

Quae ratio inter tuberculosin et sexum intercedat.

Vis, quam sexus affert ad tuberculosin procreandam, ex terra suspensa esse videtur. Sic Lutetiae Parisiorum major aegrotorum pars ad sexum muliebrem pertinet. Louis enim in Francogallia atque inprimis Lutetiae sexum virilem multo minus phthisi pulmonum dicit infestari, quam muliebrem [1]). Espine vero Genevae paullo plures viros, quam feminas morbo corripi narrat, eademque rationem inter urbanos et rusticos intercedere [2]). In Britannia multo magis in mulieres, quam in viros saevit morbus; Londini contra intra annos 1839—44 ad 37 mares 33 feminae pertinent. Eadem ratio sexum anno 1839 in urbibus Manchester, Salford et Liverpool erat. Dittrich observavit, numerum aegrotorum marum feminarum superare. Quae res magis etiam in infantes cadit, ut ex conspectu consequitur, quem Rilliet et Barthez operibus suis subjunxerunt [3]). „Invenimus inde a primo aetatis anno usque ad secundum annum et dimidium tuberculosin multo fre-

[1]) Recherches sur la phthisie. 2. édition, pag. 578.

[2]) pag. 36.

[3]) Maladie des enfants. t. III, pag. 123.

quentiorem esse in pueris quam in puellis. Inversa fere est ratio inter 3—5 annum. Inde a sexto usque ad decimum annum et dimidium tuberculosis in utroque sexu aeque frequens est, sed inde ab 11 usque ad 15 annum ergo usque ad pubertatis tempus hic morbus multo saepius in pueros quam in puellas invadit."

Quibuscum peregrinorum medicorum tabellis nostras Vratislavienses comparamus. Omnino 155 mares sed 127 tantum feminas morbo affectos vidimus. Ratio ergo, quae inter utrumque sexum intercedit, haec fere est 8 : 7. Atque primum quidem virorum tuberculosorum conspectum parabo:

aetatis anni.	aegrotorum numerus.
1—5	7
5—10	5
10—15	7
15—20	13
20—25	20
25—30	29
30—35	22
35—40	16
40—45	12
45—50	7
50—55	4
55—60	7
60—65	2
65—70	4
	155

Sexus femininus sub hanc rationem cadit:

aetatis anni.	aegrotorum numerus.
1—5	12
5—10	7
10—15	8
15—20	11
20—25	10
25—30	24
30—35	20
35—40	10
40—45	10
45—50	7
50—55	2
55—60	4
60—65	1
65—70	1

Ex quibus tabellis apte licet cognoscere usque ad annum, ergo usque ad pubertatem puellarum tuberlosarum numerum semper majorem esse quam pueronm ut haec ratio intercedat 27 : 19 = 3 : 2. Inde a purtate vero ratio paene invertitur, quum 100 feminis 6 mares oppositi sint, ergo haec ratio inveniatur, 12 : 17.

De vi naturae.

Frustra laborem et operam consumpsisse censendi erunt, qui demonstrasse sibi visi sunt naturam et indolem alicujus momenti esse ad morbum progignendum; inprimis homines lymphaticae indoles ad tuberculosin proclives esse suspicati sunt. Admodum vero dubia atque incerta est illa res. Ut enim definitio naturarum fluctuat atque ambigua est, sic oleum perdidisse videntur, qui lymphaticam naturam ex certis quibusdam notis veluti ex colore crinium, cutis et oculorum cognoscere voluerunt. Nostrum enim clinicum quod fusci coloris, totidem flavi comi frequentarunt, ductus oris modo acer et acutus, modo incertus fuit et quot hebetes, totidem feroces animo inventi sunt. Neque in ullo aegroto aliquid deprehendimus, quo illorum sententia stabiliretur. Quare doctrinam eorum impugnanda et refutanda est, qui certam quandam indolem et naturam ad tuberculosin censent se acclinare. Contendimus potius nullam naturam ad illum morbum minus proclivem esse.

Quid habitus corporis valeat.

Non diu tempus transvectum est, quo certum quendam corporis habitum multum valere ad tuberculosin parcendam sibi persuaserunt. Quorum virorum sententiam ut melius perspiciamus, Hufelandium, qui autor est hujus opinionis disserentem audiamus. Ex cujus sententia homines ad tuberculosin proclives pectus depressius a latere et ab anteriore posteriorem versus partem in brevius contractum habent, scapulae prominent, collum tenue et longum, statura gracilis est, dentes albissimi sunt. Vasorum systema et pulmones admodum irritabiles, genae incerto rubore tincti sunt, post coenam facies rubore suffunditur et aestuat, manus urant. Aegroti saepe tussiunt, sunt irritabili ferocique natura. Valetudinem autem suam nihil curant atque pectoris malum semper in alia corporis parte sedem suam habere opinantur. Quae omnia certe non ad incipientem sed ad magis auctam tuberculosin pertinent; effectus ergo hic pro causa habetur. At ne in eo quidem Hufelandii descriptio vera est, quod in omnes morbi exempla quadrat: immo multi aegroti sunt, in quibus illa indicia desiderantur.

Quodsi quaeris teneraene an fortes constitutiones magis ad morbum progignendum aptae sint, omnino difficile est dijudicatu, quae tenera quae fortis vocanda sit. Qua quaestione soluta multos huic sententiae adstipulaturos esse censeo: quamvis hominibus firmae constitutionis malum

non parcat, teneri tamen ei magis expositi sunt, praesertim quum aliae externae conditiones infaustae, veluti malum domicilium, mancus cibus et labores defatigantes accedunt. Effusis in omni intemporentia libidinibus morbo latior etiam via munitur. Sed etiam longa succi amissio, morbi chronici, qui organismi universi nutritioni damnum inferunt, ad phthisin pulmonum adducunt.

De hereditaria tuberculosis natura.

Si rem accuratissime et diligentissime circumspexeris atque examinaveris, difficillimum esse dijudicatu, utrum morbus hereditarius sit necne haud aegre intelliges. Nam ut res extra omnem dubitationem posita sit, non solum in iis, quae aegroti narrant, acquiescendum erit, sed multarum familiarum atque ex his uniuscujusque pro se valetudines maxima cum diligentia observandae erunt. Sed tum quoque haud raro in errorem induceris. Quanta crudelitate tuberculosis in magnis urbibus saeviat, quivis scit; at quatenus morbus hereditarius sit, nemo certo judicare potest. Nos vero nihil aliud quaerenti respondere possumus, nisi hoc certum tuberculosorum numerum liberos habere, qui eodem morbo atque parentes laborent. Quantus ille numerus sit, hac de re nobis ne minimum quidem certi statuere licet. Quae enim ii, qui policlinicum frequentant, narrant, plerumque tam incerta atque

dubia sunt, ut iis fidem habere omnino non liceat. Quare finem facimus hujus capitis Louis libellum adiri jubentes, qui decimum quodque morbi exemplum hereditarium esse nuntiat. Lebertus sane cum his, quae Louis observasse sibi visus est, non plane consentit, quum jam sextam morborum a se deprehensorum partem hereditariam fuisse narret. Licet in nonnullis regionibus morbus magis hereditariam naturam accepisse videatur, tamen phthisin multo saepius acquisitam esse constat. Quo saepius vero tuberculosis in una eademque familia invenietur, eo pejus res liberorum et posterorum se habebunt.

Utrum domicilium incommodo sit.

Nonnulli scriptores urbes magis, quam rus morbo occupari contendunt: alii contra numerum urbanorum aegrotorum ab eo rusticorum non discrepare dicunt. Sic, quem potissimum nos sequimur, Espine Genevae numerum tuberculosorum paene eum locorum circumjacentium aequare pari incolarum copia narrat. Idem Lebertus V. Ill. in pago Zuricensi invenit. Quae nos hac de re observavimus, nequaquam cum his conveniunt: 382 enim tuberculosorum 25—30 tantum rustici fuerunt, quamquam nihil certi statui potest, quum homines agrestes rarius tantum a clinico auxilium petant. Quin angustum, humidum, aëre

non perflatum domicilium pestiferum hostem non propulset, nos nequaquam dubitamus. Quam rem in nostris aegrotis, qui omnes fere in pauperrimorum numero habendi sint, non minimi momenti esse nemo negabit. In hoc ipso enim Vratislavia excellit, quod ejus incolae saepe tenuissimis et vilissimis domiciliis utuntur parcam ac duram vitam agentes. Saepe cubicula vidimus, de quibus dici non potest, ut animalibus potius digni essent, quam hominibus. Nam frequentissime ibi homines ea re egere cogebantur, qua nequaquam egere possunt, solis scilicet radiis. Hinc, si quis facile tuberculosin progigni contendit, nunquam repugnabimus.

De aeris vi.

Quamvis de parienda tuberculosi nonnulli majorem aeri, quam justum erat, vim tribuerunt, non facere tamen possumus, quin eum gravem bonae valetudinis adversarium et phthisis pulmonum parentem accusemus, si quidem tam malus atque corruptus est quam Vratislaviae. Nam inde a multis non decenniis sed saeculis Vratislavia meritam atque immortalem famam assecuta est, quod malo aëre perflatur. Quicunque peregrinus aliquamdiu hac in urbe versatus est, semper quotiescunque de ea sermo erit, pestiferi odoris bene memor erit, qui nulli viae par-

cit, eumque objurgiis obruet, qui nobis sempiternam turpitudinem inflixit. Multa jam iterum atque iterum hac de re disputata sunt, ut tandem urbs ab illo malo liberaretur. Ac profecto non supra ferunt rem, quam fieri potest, qui contendunt pretium in illis scriptis edendis consumptum paene sufficere ad hostem fugandum, quo nostra urbs oppugnatur. Ut brevi illas causas proponam, unde illa pestis aëris consequitur, primum quidem fluvium commemorare liceat vix hoc nomine dignum, qui mediam urbem et frequentissimas vias interfluit. Cui Ohle nomen inditum est. Sed nimio honore illum fluvium prosequimur, quod eum fluvii nomine signamus, quo verno tantum tempore dignus est, quum glacies et nix liquefacta est et auctumnali tempore, quum magni imbres de coelo effusi sunt. Aestate vero inprimis sub finem hic fluvius speciem praebet miserrimam atque tristissimam. Tum tam exigua aquae copia in fluvio continetur, ut jure paludis nomen mereatur odorem maxime pestiferum cruciantemque exhalantis. Omnes ejus viciniam aufugere student: quicunque vero ad eum accedere cogitur, is etiam quum procul adhuc abest, muccinio nares involvet, ne nimiam amoenorum odorum copiam hauriat miseratus nervi olfactorii cellularum. Quodsi addimus haud multo ante omnes cloacas domorum adjacentium in hanc paludem effusas esse, nemo mirabitur, quod totus fluvius cloaca tantum fuit neque quisquam dubitabit, quin ex tali luto pestis odorum ascendat.

Accedit aliud malum, unde aër in urbe Vratislaviensi pestem concipit. Magna enim luti copia, quae in urbis inciliis cumulatur, semper matutino tempore ex tenebris

in lucem profertur, quam perpetua nocta tegere faterat. Hac ratione tam frequentem urbem, qualis Vratislavia est, aerem jam magno hominum concursu corruptum magis etiam corrumpi, ut asae foetidae non multum cedat, quivis, credo, concedet.

Tertius socius arcte cum his conjunctus est canalis, qui urbem circuitu paullo ampliore cingit et minus ipsius urbis, quam suburbiorum aurum veneno quasi imbuit. Haec quoque aqua haeret platearumque canales in eum effunduntur. Omnia, quae supra de Ohle fluvio monuimus, in hunc canalem etiam cadunt. Sane hodiernis diebus ejus aqua purgari coepta est, quum in ejus alveo canaliculus opertus struatur, qui omnem aquam ex urbe manantem lutumque cum ea conjunctum recipiat atque usque in Viadrum abducat. Quae aedificatio magnifica, in quam multum operae et pecuniae confertur, ut perfici possit, totum alveum exsiccari oportet. Qui sic in veram paludem mutatur, cujus videtur officium esse, ut cum Ohle flumine certamen male olendi ineat. Ut aquae squalorem bene cognoscas, adhortor te, ut arido aestatis die tempore meridiano superficiem aquae accurate observes. Tunc natantes insulas excrementis alioque vario caeno et piscium cadaveribus conformatas videbis. Ex qua extrema re optime colligere licet omnia aqua pestifera enecari.

Hanc domesticam aurae conditionem corporum salubritati non esse idoneam, sed tuberculosin parere atque augere quid est quod moneam? Quare tot millia Vratislaviae incolae patres urbis alioqui rebus publicis bene consolentes iterum atque iterum orent et obsecrent, ut tandem his

malis finem componant. Omnes eis gratias agemus, quantas maximas animi nostri capere poterunt, quum illa foeda Vratislaviae mala amoverint melioreque aura restituta monumentum aëre perennius sibi exegerint.

Quid coelum noceat.

Coelum non magnam ad tuberculosin augendam vim exercere videtur: tuberculosis enim latissime per totum orbem terrarum patet atque diffusa est. Non abs re erit conspectum adjungere, quem Andral in opere suo [1]) instituit, ut quae ratio inter phthisin pulmonum et terrae regiones intercedat, melius intelligatur: Tuberculosis in omnibus terris, sed non ubique aeque frequens observata est. A 60° altitudinis coeli septentrionalis usque ad 30° phthisis pulmonum satis raro deprehenditur, nam inter mille morbi exempla 53 tantum ad hunc morbum pertinent. A 50° usque ad 45° malum frequentius est, veluti Viennae 1000 mortuorum 114, Monaci 107, Lutetiae Parisiorum 200, Berolini 71, Londini 236 phthisi pereunt. Inter 45°—35° tuberculosis Massiliae ¼, Philadelphiae ⅛, Nicaeae, quam divinis fere laudibus quasi saluberrimum

---

[1]) Cours de pathologie interne. Paris 1836. Tome I, p. 448—450.

tuberculosi laborantium receptaculum efferunt, $^1/_7$, Genuae $^1/_6$, Neapoli $^1/_8$, Mediolani et Romae $^1/_{20}$ [1]) incolarum abripit. Omnino phthisis pulmonum ad totam maris meditarranei oram hominibus magnam cladem infligit. Quodsi ad lineam aequinoctialem accedimus, tuberculosis inter 20—10° in antillis crebro invenitur, inprimis in Aethiopes grassatur, deinde Madriti, Gibraltariae saepe observatur: ad Africae vero oram rarissimam eam esse ajunt. Malitae et in archipelago mediterranea maxima est ejus vis. Quum enim naves Britannicae in his regionibus versantur, homines tenui pectore laborantes mox tuberculosi pereunt. Item in Indiae occidentalis insulis (Mauritius et Bourbon) multi homines phthisi absumuntur.

Quum ergo ubique terrarum phthisi pulmonum victimae immolentur, dubium non est, quin tum frigidae et siccae, tum aridae et siccae regiones hoc malo laborent. Rarissime in illas regiones invadit, quae miti coeli temperie gaudent.

De vi anni temporum.

Non possumus pro certo statuere singula anni tempora diversam exercere vim et in gravissimis morbi causis numeranda esse. Vidimus enim, ut tuberculosis quovis anni

[1]) Cf. E. Carrière, le climat de l'Italie. Paris 1849.

spatio apparuerit, neque vulgatae sententiae adstipulari possumus observationum nostrarum ratione habita hieme potissimum et vere tuberculosin inveniri. Quae nostra sententia etiam iis stabilitur, quae Louis nuntiat[1]). 150 enim aegrotorum, qui in nosocomio phthisi peribant, 74 prima morbi indicia calidissimis mensibus observarunt; tempore scilicet inter mensem Aprilem et Septembrem interposito, frigidissimis vero 76. 127 aliorum aegrotorum, qui in nosocomium Beaujon recepti et de malo suo summa cum diligentia examinati sunt, 66 frigido, 61 calido anni tempore phthisi pulmonum affecti sunt.

Quam vim officium et negotium in tuberculosis exerceat, nondum satis explorandum est. Quamquam enim cujusque aegroti negotium nobis indicatum est, nullum tamen invenimus, quo occupati saepius tuberculosi afficiantur. Cuicunque muneri mandati vel negotio dediti erant, sive sutores, sive sartores, sive fabri erant, ullum ordinem magis ad tuberculosin proclivem esse non animadvertimus.

De divitiarum et paupertatis vi optime a d'Espine edocemur. Qui haec in universum observasse sibi visus est[2]): omnium mortuorum $^{155}/_{1000}$ phthisi perierant et quidem mille mortuorum 68 divites, 233 pauperes peribant. Ergo hic quoque vis opum et egestatis cernitur. Idem

---

[1]) pag. 609.

[2]) D'Espine, influence de l'aisence et de la misère sur la mortalité, dans les annales d'hygiène publ. Paris 1847, tome XXXVIII pag. 21.

Lebertus V. Ill. se animadvertisse ait et in nosocomeis et in privatis aegrotis.

Phthisin contagiosam esse, ut saepe in regionibus meridionalibus statuerunt, aperte non demonstratum est.

Postquam, quam vim damnosam qualiscunque res exerceat, copiosius exposuimus, id ex tota disputatione jure colligi videtur semper plura conjuncta et consociata mala tuberculosin progignere. Quare viris doctissimis Rilliet et Barthez prorsus adstipulamur, qui sic fere disputant: postquam quid quodcunque malum valeat, examinavimus, persuasum nobis est, non unum solum quasi parentem tuberculosis accusandum esse. Demonstravimus raro infantem hac una de causa phthisi pulmonum affici, quod non in cubiculo bono vento perflato dormiat vel malo cibo vexatur: contra censemus multo saepius ex his duobus conjunctis morbum consequi. Idem in omnia reliqua mala quadrat.

VITA.

Natus sum Mauritius Sorauer Bithomii, oppido Silesiae superioris, die XIII mensis Februarii anni 1841 patre Pinco, matre Friederica e gente Guttmann, quos ut Deus optimus maximus mihi per longam annorum seriem vivos salvosque servare velit, quotidie oro atque precor. Addictus sum fidei veteri. Primis litterarum elementis imbutus, duodecim annos natus gymnasium adii Vratislaviense regium catholicum, quod tum sub auspiciis viri Celeberrimi directori Dr. Wissowa florebat, nec non ad hoc tempus floret. Anno h. s. LIX maturitatis testimonio instructus hanc almam petii litterarum Universitatem Viadrinam et ab Ill. Friedlieb tunc fasces academicos tenente in numerum civium academicorum receptus apud Ill. Betschler tum gratiosi Medicorum Ordinis Decanum maxime Spectabilem nomen rite professus sum.

Per quadriennium disserentes audivi viros Illustrissimos, Celeberrimos, Experientissimos: Barkow, Betschler, Braniss, Burchard, B. Cohn, Foerster, Frankenheim, Freund, Goeppert, Grosser, Grube, Haeser, Heidenhain, Lebert, Lewald, Loewig, Middeldorpf, Roemer.

In exercitationibus anatomicis Ill. Barkow, in microscopicis Ill. Heidenhain, in clinico et policlinico chirurgico-ophthalmiatrico Ill. Middeldorpf, in clinico et policlinico medico Ill. Lebert, in clinico et policlinico obstetricio Ill. Betschler duces mihi fuerunt benevolentissimi atque excellentissimi.

In exercitationibus clinicis et policlinicis me benignissime adjuverunt viri experientissimi: DDr. Caro, Dittrich, Dittmar, M. Freund, Jaensch, Reichelt, Reinhard, Ressel, Sommerbrodt, Stark.

Quibus omnibus viris optime de me meritis quam possum maximas ago gratias, neque unquam habere desinam.

Tentaminibus vero et physico et medico nec non examine rigoroso superatis, spero fore ut dissertatione thesibusque palam defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

I. Acupunctura est chirurgiae percussio atque auscultatio.

II. In partu praematuro artificiali efficiendo punctio ovi velamentorum methodus est aptissima.

III. Vagus nervus est impediens motus cordis nec vero nervus motorius.

IV. In fracturis malleoli externi vel utriusque curandis situs lateralis ceteris omnibus praeferendus est.

V. Palpitationes saepenumero omni cordis vitio absente existere possunt.